

Oratio de
gratitudine, quam in
Regia Academia
Upsaliensi ad diem 3.
Junij, ...

Silenus, Johannes Canuti,

F1700 Br.1001



National Library
of Sweden

SILENUS

F 1700

Sw. Form.

Ps. 1001

Förel. 1700

Lat. Tal up. 6.

(Ps.)





L. Lant. 177
F. 1700.
L. L. L. L. L.
(P. 1)

ORATIO

De

GRATITUDINE,

Quam

In Regia Academia Ubsaliensi ad diem 3. Junij,
ANNO CHRISTI M. DC. XXXVIII.

Publicè pronuntiavit

JOHANNES C. SILENUS
Aboënsis.

Bernhard. Epist. 181. ad Haimericum
Cancellar. Col. 99. A.

*Danti rependi quicquam gratius ab accipiente non potest,
quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit. Et hæc benevolen-
tia creatur de benevolentia dantis, in animo accipientis, beneficio
interveniente.*



UPSALIÆ,

Excudebat Æschillus Matthiæ Acad. Typog.



Admodum Reverendo in Christo patri ac Domino,

Dn. M. ISAACO ROTHOVIO,
Theologo celeberrimo, Episcopo Aboënsi gra-
vissimo, Mecanati suo magno, omnibus ob-
servantiæ studijs colendo.

N E C N O N

Reverendis, Clarissimis & Honoratissimis Viris.

M. Æschillo Petræo, S.S. Theo-
log. licent. pastori Civ. Abo. &
in Nummis meritissimo.

M. Erico Fortelio, olim S.S.
Theol. Lect. in Gym. Abo. dignif.
nunc vero in Pederöö pasto-
ri attentissimo.

Dn. Boëtio Murenio, in Gym.
Abo. olim Eloq. Lect. perindu-
strius, nunc vero in Saltwiff
past. prastant.

Dn. Henrico Zafwast perill.
& Generos. Comit. Dn. Jaco-
bi Delagardie Praefecto perin-
dustrius & civ. Abo. negotiatori
primario.

M. Svenoni Wigelio, in Gym. A-
bo. S.S. Theol. Lectori & Past.
in Saghu fidelissimo.

M. Martino Stodio, S.S. Theol.
Lectori & in Lundo pastori vig.

M. Johanni Orbergio, in Gym.
Abo. Phys. Lect. & p. t. Rect.
clarissimo.

Dn. Andrææ Neocleandro,
Phil. Candid. & Eloq. ibidem
Lect. facundissimo.

M. Georgio Alano, ibidē Math.
Lect. solertissimo.

Dn. Johanni Zafwast, S. R. M.
fidei officario & peditum Ca-
pitaneo magnanimo.

*Illi Patrono benigno summissè etatemq; reverendo: Illis fautori-
bus ac Evergetis plurimum observandis: hisce cognato & a-
vunculis syncerè honorandis: hocce tyrocinium oratorium in
debita gratitudinis ac reverentiæ significationem, reverenter
& obsequioso, consecrat & inscribit.*

J. C. S.



Piâ Eruditione verâq; virtute cultissimis
Dominis studiosis salutem plurimam.

Nter varia multaq; laudanda gratitudinis exempla atq; encomia, eximium nobis exhibet perpendendum ANNA Mater Samuelis 1. Sam. 2. cap. Quippe qua filium suum Samuelem pijs ac ardentibus precibus à Domino DEO impetratum ac cultui divino ex animo destinatum, cum ab uberibus esset amotus, promissi sui haud immemor, conditori ac salvatori suo, summâ cum cordis alacritate & animi latitiâ restituit. Quo admonemur & docemur, nos jure justitia & gratitudinis teneri nosmet ipsos omniaq; nostra bona, cujuscunq; generis & nominis sint, accepta referre Domino Deo, nostro creatori, sustentatori, redemptori ac sanctificatori, totamq; nostram vitam, proposita, consilia, studia & officia Unicè ad nominis ejus laudem & gloriam, componere, conformare & dirigere. Quandoquidem itaq; orationem docto ac eleganti stylo de egregiâ virtute gratitudine composuit litteris & humanitate cultissimus Juvenis Dominus Johannes Canuti Silenus Aboëntis, quam hodie hora 12. in auditorio veteri Majori, Deo paternè benedicente, publicè convenientibus ac decenibus additis gestibus, pronuntiabit, prestantes ac ornatissimos Dominos studiosos, virtutum & ingeniarum artium excultores indefessos, ejus nomine amici rogatos volo, quò frequenti, benevolâ & honorificâ sua presentia adsum declamatorium exornare, conatumq; laudandum & animum peroraturi amicâ auscultatione approbare & sublevare velint. Valete Deo fide-liter commendati semper salvi & incolumes.

M. Johannes Laurentij Stalenus.



Generosissimi Dn., Barones, Admodum Reverendi & Excellentissimi Dn., Professores, Patres & Mecænates quovis observantiæ cultu jugiter honorandi, tuq; Nobilissima, præstantissima. ac cultissima Studiosorum frequentia.



Inter reliquas animi dotes atq; virtutes egregias, quæ hominibus contingunt, eosq; exornant, primum locum ac palmam laudis sibi merito vindicat gratitudo: quippè sine eâ cæteræ neq; esse aut subsistere, neq; munus & officium suum ullo modo obire queût; ut non immeritò Romana Eloquentiæ parens illam non solum virtutem maximam, sed reliquarum omnium virtutum matrem salutaverit. Quid enim pietas est, nisi voluntas grata in Deum, Patriam, parentes? qui sunt boni cives, qui fortes, qui militiæ atq; domi de patria benè merentes, nisi qui patriæ beneficia meminerint? qui sancti, Deum verè colentes, nisi qui Deo optimo maximo gratias, justis honoribus, memoriq; mente persolvunt? quæ potest esse jucunditas vitæ sublatiis amicitiiis? quæ porro amicitia potest esse ingratos? qui liberales & munifici sine gratâ mentis memoria? hæc virtus gremio suo fovet veritatem, quæ agnoscit & proficitur se ab aliquo beneficium accepisse; hæc deniq; completitur ipsam justitiam, quæ servat æqualitatem, ac agnoscit se vicissim ad *aridæ* obligatum esse, adeoq; benè meritis debitam gratiam & benevolentiam animi pro beneficio aliisq; officiiis

ficiis pro facultatum suarum modò reddit. Hæc virtus est, qua hominum Deiq; immortalis benevolentiam nobis favoremq; conciliat, juxta illud: *χάρις χάριτι κτερι*, gratia gratiani gignit. Hæc virt^o cum sua sobole Liberalitate societate humanam magis conservat, quam ulla legum vincula. Nulla enim stabilior potest esse civitas, quam ubi certatim alii bene mereri, alii parem persolvere gratiam contendunt. Ibi nulla discordia animos dissipat, sed omnia lata, omnia serena & tranquilla sunt. Hæc proinde virtus cum omnibus bonis viris, tum verò maxime liberalium artium studiosis apprimè convenit, qui pro liberali otio sibi concessò, pro fideli & planè paternam curam ac informatione, nunquam grates satis dignas Deo, parentibus & præceptoribus suis reddere possunt. Quæ cum ita sint non alienum, neq; abs re facturum me existimabam, si de grati animi benevolentia atq; remuneratione apud vos commilitones optimi, hoc tẽpore, prout ingenij mei vires ferunt, verba facerẽ. Constitui itaq; de prædicta virtute dicere, non quidem ut ejus præcepta, quibus vos cumulosos esse scio, vobis ob oculos ponerem: sed ut rationes quasdam & exempla minus concinno dictionis simpliciq; stylo exornata proferrem; quò anxia & occasio præbeatur accuratius rimandi atq; expendendi, quam præclara, ac nostro ordini imprimis necessaria atq; conveniens hæccẽ virtus existere debeat. Vos proinde, Auditores lætissimi, omnes & singulos, habito cujusq; eminentiæ ac dignitatis respectu, humiliter & amicè rogatos volo ut mihi balbutienti, de justissimam tamen causam dicere conanti, exiguo temporis spatio, pro solito vestro in alios candore, benignas aures præbeatis.

In confesso est utiq; Auditores, maximi illa omnia esse momenti ac pretii, quæ ortum suum ab illo habent authore, qui & sapientiæ prudentiaq; laude apprimè cluit & dignitatis eminentiâ clarissimè nitet. Ut enim ex limpido & claro fonte

lymphæ scaturiunt & emanant puræ ac pellucidæ : ita quoque
à principio sapiente & cordato non potest non ejusmodi
proficisci, quod honestate est eximium, utilitate amplissi-
mum, jucunditate denique; & suavitate refertissimum. Quis
verò mortalium inficiari volet, hanc virtutem à perenni illo
bonitatis fonte, à quo cuncta bona mortalium fluunt cater-
væ, ortum suum traxisse? Liquidò enim constat summam il-
lam sapientiam ac potentiam, in hoc amplissimo universita-
tis theatro, evidentissima gratitudinis argumenta *exphera*
quæ, Creatoris largissimam bonitatem repræsentant & morta-
libus ad ejus imaginem conditis, obviis ut ajunt, ulnis agnosce-
da, amplexanda, & deprædicanda, proponuntur ubertim
constituisse. Expatiemur agitur in agros & hortos, & per pluri-
ma offendemus paternæ bonitatis & gratitudinis documenta.
Nam arbor putata quàm latus emittit frondes? quàm sèves,
ut cultorem suum remuneretur, progignit fructus! vinea
benè culta, quantam ad aspectum jucundissimè pendentium
uvarum copiam profert; agri denique; opere rustico subacti,
quanto cum fœnore injecta sibi semina refundunt; Quis hæc
singula nisi defoculus non videt & cognoscit? Ab agris & hortis
animi nostri & oculorū aciem in bruta animalia, non dome-
stica solùm & cicura, sed etiam ferocissima convertamus, per-
pensuri quid gratitudinis in illis depræhendatur. Illa sanè pro
beneficiis sibi præstitis mirificè vicem reddere, annales cum
experientiâ testatum faciunt. In oppido Sestio virgo educa-
verat & aluerat aquilam, quæ ut educatrici referret gratiam,
aves captas ad ipsam comportabat: Ubi verò sua fata virgi-
nem tulerunt, & rogo est imposita, devolans in eundem ro-
gum aquila simul cum virgine conflagravit. O pulcrum &
reginæ avium conveniens facinus! De gratitudine ciconiæ
avis exiguæ multa referunt naturæ speculatores: Ea paren-
tes senio confectos non averfatur neque; fastidit, sed impensè
dili-

diligit & cum pabulatum ire nequeunt, cibos affert, & volandi impotentes humeris gestat, ut inde natum sit proverbium *αιππελαργειν* hoc est, mutuam pietate colere atque; fovere bene de nobis meritos. Transeo jam historiam illam, quae extat apud Gellium de leone quodam, qui beneficii, cum pede ejus spina esset avulsa praestiti memor, cuidam servo fugitivo & ad mortem condemnato in totius populi Romani conspectu salutem reddidit. Quid tandem de canibus loquar? Hi certe non obscurum gratitudinis exemplum mortalibus conspiciendum praebent. Nam canis pro domino suo, & latrones insilire & extraneos nocturnis accessibus novit prohibere, mori pro domino & commori domino est paratus; dominum etiam occisum custodit, occisorem prodit. Sed ambigit forte hoc quispiam: en fide dignam ex Ambrosio Hexamerio adduco historiam, huic rei fidem facturam. Antiochia in remotiore urbis parte, ferunt virum necatum, qui canem sibi habuit adjunctum: hunc quidam miles praedandi studio interfecerat, & in alias, partes cesserat. Iacente autem cadavere inhumato, frequens spectantium vulgus astabat. Canis autem vultu lachrimabili arumnas domini sui deflebat. Is vero qui necem intulerat, ingenii versutiâ quod praesumptam fidem asciret innocentiae, ad illam circumspectantis populi coronam quasi miserans accessit. Tunc canis sequestrato paululum doloris quaestu, audaciam ultionis assumpsit, & apprehensum tenuit, ac velut epilogo quodam miserabile carmen immurmurans, universos in lachrymas convertit, fidemque; probationi attulit, quia solum eum ex plurimis tenuit, nec dimisit. Demum perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem, & accusatorem neque; odii, neque; inimicitiarum, neque; invidia aut injuria alicuius poterat objectione evacuare, crimen diutius nequivit refellere. Alia quam plurima
gra-

gratitudinis specimina à brutis edita hic recenserem, nisi hæc
sufficere existimarem. Sed nunc ad sublimius mea tendit lo-
cutio. In divinis oraculis millies ingentium & admirando-
rum beneficiorum fit mentio, quibus omnipotens non so-
lum eos, quibus pietas, timor Dei, integritas vitæ & agnitio
bonitatis Divinæ cordi est, ornat; sed etiam ingratos, perversos
& Dei prorsus obliviscentes iisdem afficit, ut eos ad pæni-
tentiam & vitæ emendationem alliciat. Largitur quippe
Summa Misericordia mortalibus corpus & animam, alimen-
tum & indumentum, animæ decus & ornamentum, imò u-
niversa & singula, quæ ad hujus vitæ sustentationem sunt
necessaria; idq; tanto libentius, quanto ferventius hominum
caterva, Deo gratitudinis thura adolere gestiunt. Et ut eò
luculentius humano dispalesceret agmini hancce virtutem
divinitus ortam esse, & Numini apprimè arridere, curavit
sacrum illud flamem, sacro codici gratitudinis sectandæ & in
oculis gestandæ, admonitiones & exhortationes sapissimè
inferendas. Accepta, accepta, inquam, proinde est hæc virtus
maximè Deo, quippe qui hujus contrarium, ingratitude-
m super reliqua vitia mirum in modum detestatur. Nam nihil
ex Bernardi sententia, ita displicet Deo, præsertim in filiis
gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingra-
tudo. Ingrato siquidem homine, Ausonio teste, terra pe-
jus nihil creat, & in ingratitude, Cicerone asserente, nihil
non mali inest. Hujus enim tanta est iniquitas malitiæq;
tanta, ut nulla certa ei ab humanis legibus pæna sit constitu-
ta, sed solâ Dei justitiâ puniendâ relinquatur. Hinc verum
constat esse id, quod usitatè dici solet: ingratum si dixeris,
omnia vitia dixeris. Hinc duri ominis sententiam sapientis-
simus mortalium Salomon ingrato pronunciat, dum de limi-
ne ejus, malum non discessurum & spem ejus ut hybernalem
glaci-

glaciem contabescere asseverat. Hinc deniq; electum Dei organon Paulus, literis Timotheo datis inserit ingratos catalogo improborum, & hujusmodi farinae hominum consortium esse fugiendum severè mandat.

In aprico igitur est præclara hujus dignitas virtutis: qua societas porro humana ad obtinendam felicitatem ita carere potest, veluti mundus sole. Quis enim tribus illis primariis [ut reliqua taceam] qui nobis inæstimabilia beneficia præstiterunt, Deo nimirum, parentibus & præceptoribus placebit, qui gratitudinem visceribus suis inclusam non conservat. quis indignationem, furorem & vindictam gravissimam evitabit, nisi memor boni in se collati? Quamvis verò teste Aristotele, Deo, parentibus & magistris non possit æquivalens reddi gratia: nihilominus tamen ejusmodi, qualem virium facultate nostrarum præstare possumus, iis haud ingratham esse manifestum est. Deo placere posse gratitudine vacuum, impossibile est, ut nihil opus sit pluribus id documentis firmare, præsertim cum ex iis, quæ superius dicta sunt id ipsum planum sit. Parentes verò quod attinet, nec legi Dei ac naturæ tam consentaneum fuerit, quàm eos, à quibus in hanc lucem editi sumus, honorari & recolere confectosq; senio & omni ope humana destitutos filiali affectu & benevolentia prosequi atq; consolari. Nisi verò hoc rei filio curæ fuerit, exulabit longè à felicitate. Qui enim honorat patrem suum, ait Ecclesiastes, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur, atq; vitam vivet longiorem, & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt. Hæcce autem singula præstare & obtinere quâ ratione poterit is, qui gratitudine exutus est. Veniamus præterea ad præceptores. Quid quæso iis virtutum & morum magistris debemus? sanè

plurima; imò majora quàm parentibus: majora quippe, si rectè æstimamus beneficia, à bonis Doctoribus, quàm ab ipsis parentibus accipimus. Novimus equidem hominem, in summâ sapientiarum perfectione & virtutum pulcherrimarum decore primitus à Deo creatum, sed subito cheu ab illa primigenia perfectionis origine defecisse, & horribiliter undiquaq; deformatum esse, ita ut nativum intelligentiæ lumen in spississimas ignorantia tenebras; primigenia voluntatis bonitas, in pessimos repugnantium motuum Euripos; rationis & voluntatis suavissima harmonia, in distractiones, contrarietates & libidines turpissimas transmutata sit. In tanta ἀτυχία, pro dolor! nascimur, & in reliquâ vitâ versaremur, vel potius grassaremur, nisi tantorum malorum ac deformitatum medicinam præstantissimam nobis exhiberent fideles præceptores. Hi namq; sapientiæ istius primitivæ favillam quasi è cineribus resuscitant, intellectum nimis distortum & crassissimâ quasi rubigine obductum edolant, atq; rerum divinarum humanarumq; scientiâ imbuunt: voluntatis ἀτυχίαν ita curant ut ad virtutis amorem vitiorumq; detestationem assuefacere affectuumq; prurientium lasciviam sub rectæ rationis dictamen reducere paulatim incipiant. Quodnam verò in terris majus beneficium quodve melius bonum homini contingere potest, isto iam indigitato? Apparet igitur veritas hinc sapientis ejus dicti: habent à parentibus liberi ut sint, à præceptoribus verò ut benè sint. Hoc ipsum optimè novit celeberrimus imperator Alexander Magnus, cum interrogaretur, utrum magis desideraret patrem Philippum, an Aristotelem præceptorem Magistrum? inquit. Philippus enim ut essem, Aristoteles autem, ut præclare institutus essem, author fuit. Parentes interdum magnis laboribus divicias liberis conquirunt atq; relinquunt: at præceptores verum ac stabili.

habilem earundem usum illis monstrant: & opes in se sunt
ejusmodi, ut sine virtute & eruditione nullos planè fructus
afferant possessori, eumq; reddant (ut Socrates dicere soli-
tus) similem equo, argento & phaleris ornato. Si igitur ani-
mas nostras ab ignorantia caligine & errorum carduis im-
munes fieri cupimus; si summarum succo scientiarum imbui, si
articulos fidei rectè discere & ab hæreticorum corruptelis
defendere volumus; si rerum naturalium, sublunarium &
cælestium essentias, vires & operationes ritè cognoscere, ha-
rumq; motuum leges dextrè supputare gestimus; si in legi-
bus & vitæ officiis rectè tradendis prudenter agere, oratio-
nem deniq; decenter formare expetimus: quis non videt
præceptorum in docendo industriam, dexteritatem & fidem
summo operè requiri? at minus feliciter solidæ eruditionis
fundamenta jacet is, nedum splendidum sapientiæ palatium
extruit, qui erga præceptores suos animum gratitudine de-
libutum habere negligit. Hæc proindè Doctorum beneficia
benè animadvertisse adeoq; grati animi officia optimè no-
visse Alexandrum Magnum literis proditum est, qui Aristo-
telem maximis muneribus cumulavit, tanquam parentem
veneratus est. Aristoteles quoq; Platonis nomini aram &
statuam consecrâsse; & Augustus Cæsar propter unicum præ-
ceptorem Arrium Philosophum Alexandrinis pepercisse per-
hibetur. En egregia egregiorum exempla: tanti sanè viri
non immeritò præceptores suos eximiis largitionibus digna-
ti sunt; intellexerunt etenim doctrinam & prudentiam à
præceptoribus haustam, sibi gubernaculo assidentibus Rei-
pub. inæstimabili esse emolumento. Ex his igitur clarum
& manifestum est, ad retinendam servandamq; in humanâ
societate felicitatem, decorum, ac celebritatem omninò
gratitudine veluti medio necessario opus esse quæ præterea

tam facunda & ampla est fructibus, utilitatibus & commodis,
qua illis, in quorum visceribus residet, gignit & producit, ut
his debito modo recensendis & exaggerandis non parum tem-
poris & industriæ requiratur. Siquidem, ut verbis utar Cry-
sostomi, beneficiorum memoria idonea nobis est magistra ad
vitam virtute informandam non sinens nos in torporem ob-
livionemq; incidere & malum sectari. Unde & magnus the-
saurus gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bo-
num, armatura fortis ab eodem nuncupatur. Qui etenim
gratus est, imprimis erga Deum, ille favorem, gratiam &
misericordiam ejus obtinet, peccatorum consequitur remis-
sionem, animæ pabulo gaudebit, victum & amictum tempo-
ralem habebit. Imò in abscondito Altissimi & in umbra
omnipotentis commorabitur: illum Iehova eruet de laqueo
venatoris & peste pravitatis: Alis suis teget eum & sub alis
ejus securus erit. Nihil enim ex Crisostomi sententiâ, tam
gratum Deo, ut anima grata & gratias agens. Ideò nihil ali-
ud à nobis exigit, quàm habere gratias pro his, quæ nobis
facta sunt, ut pro illa ipsa gratiarum actione ad ampliora dan-
da provocetur. Quemadmodum enim, dicente Damasceno,
Pharmacum e magnis plerumq; morbis eripit hominem: sic
ob res parvas Deo gratias agere ingentia bona conciliat. Tu
igitur gratitudo vinculum es, quo creator & creatura uni-
untur: tu decus es requisitum, gaudii comes, tranquillitatis
fomes: tu miseros tui amantes in arumnis curas, opressos
juvas & ad cælum eos tandem sublimas. Sicut enim omnia
flumina currunt in mare, unde per exhalationes marinas or-
ta sunt, ut eò revertantur, unde iterum fluant, fiatq; hoc mo-
do perpetuus aquarum cursus atq; recessus: sic omnia Dei
dona, quæ ad nos à patre luminum descendunt, ad eundem
denuo per gratiarum actionem reportantur atq; reficiunt.

Unde

Unde plurimi magni nominis & authoritatis viri laudatissimam hanc virtutem gratitudinem, ceu rem cælo gratam diligenter coluerunt: in quo genere, ut vetustissimum, ita maximè pium Israëlitarum exemplum edidère, qui excusso servitutis iugo, perq; medios pelagi fluctus in pacatam rerram egressi, confestim Deo servatori hymnum cecinère, quem Moses itineris dux piè meditatus est. Hac etiam de causâ pi-entissimus ille David, laudis aram Deo subindè extruxit, hunc in modum dicenes: Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quam diu fuero. Item: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci beneficiorum ejus. ô exempla gratitudinis illustria! ô facta piissima! Utinam illa mortales nunc seriò imitarentur omnes. Bonum certè est canere Deo nostro, quoniam dulce, & decora est laus. Quid melius quæso & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? hoc nil dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Sed ad propositum. Constat ex dictis illam gratitudinem, quæ Deo præstatur esse utilissimam: Iam porrò quod humanam attinet societatem haud exiguus in eâ quoq; gratitudinis fructus consideranti innotescit. Ecquid enim amicitiam, concordiam adeoq; charitatem inter mortales sartam & textam servat, nisi gratitudo? Hac certè explosa, ingratitude (retineo verba Bernhardi) hostis gratiæ, inimica animæ, meritorum exinanitio, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, exiccans fontem pietatis horribiliter succedit. Abominabilem autem hunc suum hostem gratitudo oppidò averfatur, iratumq; ad humanitatem, potentem ad pietatem, tenacem deniq; ad liberalitatem exercendam commovet. Gratiarum enim actione, non solum Deum, sed & homines ad nobis denuò benefaciendum magno cum sceno-

re invitamus, adeo ut bene dixerit Cassiodorus: invitat ad magna, qui gratè accipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta, beneficia recognoscit. Meliora quippè meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. ô gratitudo! te præsentè humaniores literæ efflorescunt, lingvarum notitiæ innotescunt: tu enim Docentibus alacritatem, discantibus verò docilitatem subministras. ô gratitudo! tu templis jucunditatem parturis, concionatores cum auditoribus optimè concilias. Tu decus regnorum, ornamentum urbium, emolumentum oppidorum, columen & fulcrum familiarum. Quis tuarum laudum non sit tuba & buccinator? Cum summi viri tantos perciperent gratitudinis fructus in civili societate emergentes, non solum laudibus eam dignati sunt, sed etiam ipso opere sibi commendatam habuerunt. David etenim Rex Israëlitarum vir ille secundum cor & animum Jehovah, grati animi indicia sæpè declaravit Ionathæ, cujus operâ multoties servatus, cum à patre ejus Saule hoste suo infensissimo persecutionem pateretur. Postquam enim regno potitus est David, Ionathæ posteros multis gratitudinis documentis sibi devinxit, fovit, regioq; convivio adseripit. An tuum prætereà Auguste Cæsar insignè exemplum præteream quo gratitudinem & animi submissionem posteritati egregiè commendasti? Cum enim veteranus quidam miles in jus vocatus periclitaretur, tuamq; opem in publico imploraret, ibi tu è comitatu tuo virum magnum delegisti, cui litigatorem illum commendasti. Sed vociferante ita milite; at ego, Cæsar, cum tu bello Actiaco periclitareris, vicarium non quæsi, sed ipse pro te pugnavi, quæ factus cicatrices ostendit. Sed, en audito res, memorabile factum Cæsar! Ecquid ille? Erubuit primò, & ne cum superbus, tum ingratus putaretur, veterani patrociniū ipse suscepturus judicium accessit. Tantâ religione gratitudinem
ipso

ipso illustri opere commendandam esse existimavit, augustinus
simus Cæsar, ut dignitatis & eminentiæ suæ imminutionem
potius, quàm illius virtutis violationem ullam fieri pateretur.
Imò in tanta aestimatione & valore habita est hæc virtus à
quibusdam, ut erga bruta animalia eam declarare minimè du-
bitaverint. Romani enim propter Capitolium ob clamorem
anserum conservatum, illis publicè cibaria constituerunt. Et
iidem corvum illum, qui civis manè salutare solitus erat, im-
perante Tiberio, exequiis & funere honesto dignum judica-
runt, & lapidibus hominem eum obruerunt, à quo corvus ille
interfectus erat. Sic illi hanc virtutem omnes magni fece-
runt, amaverunt, & posteritati commendaverunt: nos igitur
illorum cordatorum laudabilibus vestigiis non insistemus,
hanc virtutem veluti insigne depositum eximiumq; decus a-
mando, & laudibus celebrando?

Quapropter ut tandem aliquandò orationi finem imponã, luce me-
ridiana est, clarius huic virtuti ea suppetere rationum monumen-
ta, qua hancce laudibus efferendam esse maximis probant. Sive enim
originem ejus spectemus, deprahendimus illam esse Deum Ter Opt. Max.
qui ad eò hæc delectatur & ad benignitatis suæ thesauros mortalibus
communicandos & largiendos permovetur; qui etiam tanti fecit hanc
virtutem, ut clarissima simulachra in rebus sensu carentibus & brutis,
hominibus conspicienda representare non dubitaverit. Sive ratione
necessitatis eam examinemus, est ea talis, qua sine divini favoris jactu-
rà, parentum injuriã, præceptorum torturã vilioris deniq; doctrina
capturã (à quibus pietas, aqutitas & honestas abhorrent) nequaquam in-
termitteri & negligi potest. Sive præterea utilitates illas pensaveri-
mus, qua ex illa tanquam fonte ingenti emanant & ebulliunt, animad-
vertimus humanam carerem eã condecoratam, uberrimum earum
acerbum metere & adipisci. Sive deniq; annales pervolvimus, inno-
tescit summos viros hanc dilexisse, exercuisse, commendasse, & poste-
ritat. laudibus tollendam amandamq; reliquisse. Tu igitur sempit-
erne virtutum parens, tuam nobis largire gratiam, quò cum ceteras
virtutes, tum hanc etiam insignem, tuum esse donum agnosamus, ma-

gals faciamus, & ferventi animo in tui nominis gloriam, Ecclesia con-
modum, reipublica emolumentum nostrumq; ornamentum jugiter co-
lamus, & tibi ita accepti vivamus & moriamur.

In orationem
DE GRATITUDINE
Humanissimi doctissimiq; juvenis,
Dn. JOHANNIS C. SILENI,
amici sui dilecti;

Fert pia longævum nutritq; ciconia patrem :
Est tua brutorum gratia, stulte, minor.
Fundebat

Laurentius Fornelius, Poësis Profess. pub.

Diceris immeritò haud gratus doctissime JANNES,
Qui meritis suades solvere grata Deo
Ingenij specimen næ oratio compta SILENE,
Acceptum cunctis, exhibet ipsa tui.
Ut pede quo studijs pergas incumbere cæptis
Cæpisti fausto comprecor : hisce vale.
Probata amicitia testific : ergo apposuit,
Abrahamus Olai Landius Hels.

Ταῖς δόξῃ φρονίμῃσιν ἀπαδάζων σήθητι βίβλοισι,
καὶ ἀρετῆς δόξῃ ἀλικρινείας ἐργῶν :
Σφόδρα ἰσχυραίεσσι πειρομένοις ἀγαπητῆς ἀείσεισσι,
ἠδὲ τυχεραῖσιν δυσχερῆσιν ὡς πελειῶσιν.
Βάζεις ἐν ῥητῶσιν φίλ' ὅπῃ Σιλήνης ἐπαινῶν
Εὐχάριτ', κῦδος, καὶ χάρις δὲ τειν.
Εὐμνοείας ἕνεκα ἐπίρρησιν καὶ ὁμοχωρίῳ συγκλυκυστήρῃ ἐπιπεύει
Andreas J. Keckonius.

Surgite huic Charites grates persolvite dignas,
Ceu grates oleum cujus ab ore fluunt.
Vivito sic IANNES felix per secula multa,
Charus ut ipse Deo gaudia fera ferat.

Thomas M. Pacchalenius.

